ORATIO ANNIVERSARIA

IN

Theatro Collegii Regalis

MEDICORUM LONDINENSIUM

HABITA,

Die XVIII. OCTOBRIS, Anno 1721.

In LAUDEM

MEDICINÆ,

ET

MEDICORUM ILLUSTRIUM,

Aliorumque

Ejuſdem COLLEGII Commodis Faventium.

LONDINI:

Typis GULIELMI BOWYER. MDCCXXII.

CONSULTATIONS

CLARISSIMO DOMINO

Dom. *HANS SLOANE* Bar.

PRÆSIDI OPTIMO,

Cujus Juſſu priùs Cœptam,

NEC NON

COLLEGIS ſuis Honorandis,

Quorum Hortatu nunc demum Editam,

ORATIUNCULAM HANC

Dicat Dedicatque

JOHANNES HAWYS.





ORATIO.

QUÆ clara ſunt Conſuetudine, aut poſita in more Societatum apud Gentes exteras & hanc noſtram; quo afferrent Laudes Artes Inventoribus, Inſtituta quoq; Auctoribus, & probavi ſemper, & imitanda cenſui, nec non iis intereſſe, vel maximum honorem duxi. Cùm enim Antiſtites in Artibus Laudem Artes alere ſint opinati, & ſuarum Virtutum conſcii, non ea minui in quibus Maximi fuerant, ſed Poſteros ſibi pares fore voluerunt. Sentiebant & Vivi eam quæ poſt funera præſtari magìs ſolet Venerationem; & quid apud Poſteros futurum ſit videbant: Nimirum res ſuas ex Memoriâ noſtrâ alimentum captare, ſermonibus creſcere, literarum monumentis inveteraſcere & corrobcrari. Non cum Vitæ tempore eſſe dimittendam commemorationem Nominis ſui, ſed cum omni poſteritate

adæquandam. Non Statuas & Imagines, Corporum Simulacra, ſed Animorum, Conſiliorum & Virtutum Effigies, ſummis Ingeniis expreſſas & politas potiùs expetunt. Hæc autem, cùm à ſuo ſenſu poſt Fata affutura ſint, tamen certâ quâdam Cogitatione Speq; delectantur. Imò verò inter vivendum, Virtutis præmium ampliſſimum eſt Gloria, maximaque brevioris vitæ Conſolatio: quippe quæ Nomen prorogans noſtrum, & Memoriam extendens contra brevitatem Ævi. Ubi Anima Naturæ ceſſit, demptis obtrectationibus, ipſa ſe Virtus magìs magíſque extollit; ipſius gradibus etiam Homines in Cœlum videantur aſcendere, & provehi ad Deos: Ad Deos iſtos quos fabricant Homines; nempe ex Gloriâ & Famâ ſempiternâ formatos & conſtitutos, quos Memoria Hominum conſecravit. O egregios Philoſophos, præclaros Theologos! Divinitas ſanè Poetica, Immortalitas Oratoria! Hanc autem mihi arripiam, & in lucro ponam: Adeò ut à Periculis liberare, Dolores abigere, Salutem dare, Sanitati denique reſtituere, Civemque ſervare, Divinum eſto; & Deus eſt Mortali, juvare Mortalem. Hæc ad æternam Gloriam Via; hâc Proceres ivêre Medici, hâc nunc Cœleſti paſſu vadunt.

Unde eſt quòd ſileatis tandem aliquando, Duces & Imperatores veſtros, vos Panegyrici. Hi enim inter-

intereſſe Cædibus & Cruori deſiderant: Genus Hominum in Generis Humani perniciem natum & inſtructum; ad Vitas labefactandas, ad evertendas Urbes, & ſubjugandum Orbem innoxium. Quid cum Bellonâ Nobis? Nos Deâ placatiore utimur, Muſam manſuetiorem colimus & meditamur. Non niſi Machinas inertes, & Cadavera nullis Virtutibus pollentia, ſecamus: Atqui leve eſt violare Mortuos, modò Viventes adhuc conſervandi causâ. A Viviſectione omnino abhorremus, & nuſquam decuit Salutis Humanæ Præſidem, ſub ſpecie Artis facinus conſciſcere: prudenſque Medicus non Cædem, ſed Sanitatem molitur, & per Miſericordiam ſolummodo proficere cupit. Tecta priùs detegere, partium interiorum notitiam aſſequi, manibuſque Anatomicis deprehendere geſtit; contemplari Sedes, Poſita, Ordines, Figuras, ſimul ac Fibrillas minutiores, quouſque valeat oculorum acies Vitris adjutata. Forſan comitantur particulæ fluidæ, corpuſculis & cæcis Natura rem gerit: hiſce magna vis adeſt, levibuſq; ex Elementis prima moventia oriuntur. Sive per hæc ſenſatio pollet, ſive per Filamentorum ſolidorum vibrationem aut concuſſionem; incaſſùm tentamus Ingenio, & Cogitatione quærimus. Sunt movendi poteſtates æquæ, patiendi iniquæ, voluptatum dolorumq; cognitæ cauſæ; Modum verò, quo ab inſenſibilibus ſenſile gignitur, nullum poteſt vis animi

 ſtringere.

ſtringere. Hanc Rem inchoare, & tantum Opus ingredi, pænè Mentis vitio eſt. Ineſt ſecreta Facultas, ſecreta Motûs Origo, ſtupenda Modificatio; omnia tamen in nobis Machinatione peraguntur, & Corpora ſumus. Non audemus inequitare Diſciplinæ de incorporeis & immaterialibus; concedimus aliis Jactationem de horum certitudine, apud nos regnat Conjectura & Ratiocinatio pudens. Intuentibus nobis Incrementa Membrorum, creſcendi Ætatem & Tempus, ſimul ac ſaltum Cordis otii impatientem, latent hucuſque Primordia rerum & Rationes ſeminales. Nonnihil ſubeſſe eruditiùs ſuſpicamur, notum duntaxat ipſi Naturæ, fabricæ hujus Auctori & Nutrici. Ubi tandem in Corpore Animali confirmata & bene locata omnia conſtiterint, Habitus Vitalis, Harmonia & bona Valetudo dicitur eſſe. Verùm non eadem ſemper Temperies conſervatur; mutatur hic ordo ab externis Vulneribus Plagiſve; intùs ab ingeſtis. Quamplurima aditu & abitu, minuunt & labefactant vires; pigri fiunt latices, & cunctantiores actus; Vivens fit Inhabile, Dolens, & mente Captum. Inimicis & Venenis perimus; hæc autem quâ ſunt prædita formâ, motibuſve; quot ſunt figurarum nomina reperire, & dictis appellare, nequimus. Forſan & ſunt Morborum ſemina, abſcondita principia: at cùm à Jove ſint omnia, quî poſſumus negare Aërem unicuique

corpori

corpori circumdatum appositumque, per spiracula Corporis Humani transiturum? Ipse Aër, nunc innoxius, Vitæ fomitem præbet; nunc pestiferus, facilè insinuat,& percolatur Virus, moransque languentia Membra solvit, Vitæ nodos & vincula relaxat; indeque ad primarium insensile, & immobile, res redit. In inquirendo tamen hoc Veneficio conamen omne proditur; tantummodo alios aliis immiscere Humores, & hisce malis, remediis ingestis aut impositis oppugnare, & certamen inire, dubitanter, haud animosè valeamus. Hinc Acre Studium, hinc Labor Improbus; atque scandenti circa ima mentis Opus præclarum. Quid, quòd Magnifica res est & salutaris, curationes ægritudinum adoriri? Præstò adsunt imprimis Vegetabilia, quæ suas ipsa indigitant virtutes, signaturis speciem deformitatis morbosæ referentibus. Occurrunt sponte Animalia sagacia, ex instinctu agentia; & hæc insequendo, & concitato animo animadvertentes, quæsitum non rarò attingimus. Idque usu exploramus, & exercitatione stabilimus, ad quod ante conjecturâ aliquâ conducti sumus. Interea verò, cùm nos frustra desiderati cujusdam remedii diurna inquisitio fatigaret, Fors obtulit, quod Cogitatio alta non reperit.

En Medicinam in incunabulis; haud ita pridem fasciis involutam, & hodie togatam! Virtus hæc non

tenui

tenui induſtriâ parta eſt: inveſtigandis, parandis & condendis Pharmacis Scrutinium difficile & arduum Judicium.

HACTENUS videre licet Medicos per vias Anatomicas & Pharmaceuticas palantes, anxios & ancipites; attamen hiſce curis ſuccurrit Exercitium Botanicum; nec non à fœdâ mortuorum laceratione, utcunque neceſſariâ, eoſdem aliquandiu eximit; ab inviſo ſanguine & exosâ ſanie liberat. Ad abolendum horum minùs ſuavem ſenſum, in apertum proditur, ſub dio vivitur, & agreſtis Muſa viget. Interdum & Amœnitates quærimus; alitur enim & eniteſcit, velut pabulo lætiore, Ingenium Medicinale.

BOTANICA Ars primos aucupatur annos: olim hoc tentamen Juventutis Medicinam appetentis; Senectutis expertæ hæc Voluptas erat. Si modò Plantarum ſponte naſcentium ordiamur cognitionem, quâ nulla eſt jucundior, nulla pulchrior, nulla denique humanior; Cognitas adire placet; ignotas pridem inveſtigare delectat magìs; & his dare Nomina, ſummo gaudio afficit. Quâ datur copia greſſûs Hominibus, quâ patet Terra: hìc ipſa Montium vertices extulit, alibi ſupinam planitiem coæquat Arator. Varietas ſatietatem pellit, & Viciſſitudo animum recreat. Sive per Ardua Montium, & Lubrica Vallium; per Roſcida Ceſpitum, aut Gleboſa Campo-

rum,

rum, carpimus iter. Cum tædio commixta facilitas, & ruſticum Laborem excipit interdum docta Quies. At haud longa eſt mora, quin propediem alienas Herbas, & Fructus feraces ſine Injuriâ furatum imus; & Vicinorum ſine Querelis, Flores decerpimus; etiam Quadrupedum pabulo intacta ad ſalutis uſus pervertentes. Nullæ deterrent Solitudines abditæ; non avia Loca, haud ullius ante trita pede: non pudet quarundam rerum Humilitas; nec Gramen ignobile, neque Muſcos ipſos, etſi calcamus, deſpicatui habemus. Notum eſt in valdè minutis, maximum eſſe vel diſtinguere. Quædam in his Species planè diſtant, manente tamen generali Societate: quin adeò ſimilitudo manifeſta eſt, ut eam diſcernere non ſit in promptu, ita perquam tenui limite dividuntur. Hybernum Opus hoc ac pergrata Ambulatio: non itur per Syrtes æſtuoſas, neque Solem ipſum, Diſciplinæ hujus Magiſtrum, Querimoniis perſequimur, ſed gaudemus Aſpectu. Interea verò Irrident aliqui, & obloquuntur. Quæritant Mulierculæ, Quas Virtutes? ad quem uſum? His promptè reſpondere non expedit. Etſi fatear me non ſemel dubitâſſe, an providens Natura ex Stirpibus & Humi ſobole, multifariis corporum malis, remedia nuſquam non præbuerit. Aliâ viâ inſtitit Humana Induſtria, neſcio an culpanda. Non contenti ſumus iis, quæ Terra poſuit in ſummo,

Benigna

Benigna, Mitis, Indulgenſque; quæ coacta generat, quæ ſponte fundit: Illa Medicas fundit Herbas, & ſemper Homini parturit. Quoniam tamen parum erat, penetramus in Viſcera, Viſcera extrahimus; Scrobibus in profundum actis, Auri Argentique venas, & viliora Metalla fodientes. Da tu veniam, Alma Mater Veſta, ingratis licèt! Quid? quòd effodiuntur Medicamina, auxêre & Artes Vitiorum Irritamenta. Quaſi verò ad Inferos penetraturi ſimus, ut Mortales ab Inferis diutiùs retineantur. Haud ſiſtendum: quæ naturâ ſunt contracta magìs, fundimus Igni, & poſt dirum flammarum cruciatum, extortæ confeſſione, indagandæ ſunt vires. Sin minùs, mixturâ Salium, & acidorum mordacium, acri examinatione ſcinduntur partes, & ſolvuntur compages: franguntur vincula Soliditatis, & deinde Circulatione, revera magicâ, Magnetiſmum acquirunt inexplicabilem, quo ſubtiliſſimi Latices, in quibus innatat Anima noſtra, mirificè in ſanitatem afficiuntur.

Dignior omninò Chemia, quàm quæ apud Indoctos & Iniquos habitaret fœdiſſimè. Multis abhinc annis, plurimùm in hiſce rebus invaluiſſe fertur Oxonienſis ille Frater: Hujus, cùm nihil non miraculoſum protulerit, deſinit tandem in Anilem fabulam, Hiſtoria vera ſupernè. Poſt hunc nonnullos qui plurium ſeculorum intervallum implent, properans miſſos

missos facio: Jamdudum enim Memoriæ subiit Boylius Noster. Vir Natu Clarus, Arte Nobilior; cujus sanctum Caput fulgentibus obvolutum Radiis, etiamsi è furno petitis, sæpissimè vidi; & tunc temporis, velut Numinis occursu, obstupefactus restiti, & ut fas sit vidisse, tacitè precatus sum. Post hunc Optimatem, Botanico jure, illustres alios transibo præter unum Raium nostratem, facilè omnium Principem.

Adsunt & vivi; atqui parco nominibus viventium; veniet eorum Laudi suum tempus: ad posteros enim durabit Virtus, & non perveniet Invidia.

Festinanter accedamus ad eos, qui rerum nostrarum curis versati fuerunt, easdemq; ultra extremum diem transmiserunt. Præ cæteris Linacrum & Caium honoratos vellem; hujus Societatis sub Auspiciis Regis Henrici VIII. Auctores & Fautores. Honestos & præstantissimi Ingenii Viros; Scriptorum Græcorum & Latinorum Veterum literatè peritos, nec non in omni Doctrina eruditos. Horum excellentiæ, non tam ipsis qui eas in se habuerant, quàm generi Humano fructuosæ inveniuntur. Ætates suæ flores primitios conspectavêre; nostra ætas & postera, fructus Laborum & Vigilantiæ carpent, & demessuræ sunt. Si hos Conditores aspicimus, adjudicamus Collegium Prudentiâ conditum & Elegantiis exstructum. Quos junctos Elogiis Barbarè insectari, (& quî possim aliter?) eorum Contumeliæ esset.

Deinde Gulstonus & Caldwaldus non sinunt memoriam benefacientium languescere, sed claris & perpetuis successionibus custoditam reddiderunt, & Collegium, cui priores impertiverunt Vitam, hi Consiliis & Muneribus sustentârunt.

Sed ipsum Harvæum continuò adeamus, qui obviam it. O quàm te memorem, Dulcissime Harvæe! O suavis Anima! Qualem te dicam bonam antehac fuisse, talia cùm sint tua scripta relicta! Nunquam Memoria Tui è Mente excidet meâ, quamdiu spiritus hos reget artus; quamdiu hi calidi fluores per Arterias progredientur, per Venas redibunt. Hunc mirum progressum reditumque, tu primus studiosis torpentibus indicasti. Perstabit Memoria Tui donec Collegium nostrum aut fortunæ ejus steterint; donec hæc Area, hæ Sedes permanserint, quas tu Beneficus dedisti, quas tu demerentibus concessisti successoribus.

Ex instituto Hujus prodimus hodie ad ipsam Artem Medicam laudandam, & quos in illâ præ aliis floruerunt. Viam munivit Hic propriis Virtutibus, & nos iisdem Disciplinis institutos & Beneficiis ornatos; nos inquam firmatos Præsidiis suis, Consiliis & Sumptibus relinquendos curavit.

Eò usque Generationis primordia & Vitæ Animalis Modi, Ovorum incubatione observata, & Exercitatione Anatomicâ, ab unius excellentissimo Harvæi ingenio

ingenio patefacta sunt, haud defuisse quodammodo viderentur additamenta. Tamen addiderunt Wihartonus, Glissonus, aliique, eximiis consummatisque Cultris, nova, desiderata. Per hos hæc invenienda fuerant, nobis cognoscenda sunt. His præceptoribus, tot Experimentis Anatomicis instruxit nos Ætas proxima præterita, ut possit videri nullâ sorte Ætas felicior quàm nostra, cui docendæ prior elaboravit.

Tam prosperæ Res literariæ, domesticæ Res multò minùs. Nam cùm Temporum iniquitas nos undique premeret, & Lar familiaris Proscriptionibus & Emptionibus periclitaretur, assurgens Baldwinus Hamæus, ut Jovi Statori par, redemit Pecuniâ solutâ, Vigilantiâ & Prudentiâ stabilivit, & ruinis restitit. Vir Illustrissimus, cujus Morum, Virtutum & Eruditionis, nos successivè Hæredes, æquè ac Bibliothecæ, Patrimonii, & Prædiorum, vellem constitutos.

At duplicatur Infortunium, & pullulant Miseriæ. Incendium universale hujus Urbis florentissimæ, non distinxit Bonorum Opera; æqualiter religiosi Cultûs & Artium utilium invidiâ flagrans: Adeò ut Sociorum Largitionum conjuncta Vis, ut ut magna fuerit, ad explendam reædificationem non valuerit. Ob hanc æs alienum cum adjunctis, Malorum Fons.

Deinde ad quendam Equestris Ordinis opulentissimum devenimus supplices, internuntio Præside

egentiſſimo & iniquiſſimo: exinde grandi ſponſione nos oppreſſi, & hæ Ædes addictæ.

Hujus protinus, ut erat factus Hæres, Nepos Edmundus Boulterus, animum ſuum, noſtrarum fortunarum cura & cogitatio tetigit. Vir maximè Locuples & minimè Avarus; in augendâ Re, non Avaritiæ prædam, ſed Inſtrumenta Bonitati quærere videretur. Rectus, Integer, Quietus, à Divitiis Incorruptus, ab Humanitate, à Pietate & Religione nullatenùs abductus. Maluit exercere quantum habuit, quàm ſequi quantum conſequi poſſet. Cùm Divitem ad laudandum me accingam, non eum qui celeri motu & difficili utitur; ſed hunc quem Statarium appello, cujus fuiſſet ſimplex in agendo Veritas, & non moleſta. Hunc potiſſimùm, qui nullo ſtrepitu, modico Cultu, diſſimulatis Facultatibus egit, & Copias magnas adminiſtravit, ſine Oſtentatione, ſine Superbiâ, ſpeciem Mediocritatis Pauperum ſimilis. Nullos Hortulos, nullam ſuburbanam & ſumptuoſam Villam exſtructam conquiſivit; ſed Victum, Veſtitum, Supellectilem, omneſque Frugalitatis notas, ſine Sordibus. Caruit Ambitu tam Magiſtratûs quàm Titulorum, & fuit inter Principes Civitatis, ſine Potentiâ, ſine Invidiâ: ut ſummum faſtigium, cùm Principis noluiſſet, privati hominis impleret. Incluſas ejus Virtutes nos; qui propè accederemus, intuebamur:

ſæpe

ſæpe enim propter Familiaritatem interfuimus; & ad ſolam Fidem tendit modica Laus noſtra. Nullo non Tempore bonam famam Avunculi conſervatam voluit, & ab omni ſuſpicione fraudis aut colluſionis, in æquitatem vindicare, pro virili ſtuduit: Vereor ut hoc quod dicam, perinde intelligi auditu poſſit, atque ipſe cogitans ſentio. Famam dico hujus, cujus ſtat ibidem Simulacrum——Parvum, nec invideo.

POSTQUAM verò nos Inopes, & magnâ Sponſione victi, confeſſi ſumus, & Reditus noſtros tanto fœnori inæquales; non Impetu quodam, ſed ſummo Conſilio, condonata ſunt pænè quatuor millia Librarum; & Nos Nobis reſtituti. Unicum hoc Auxilium feſſis rebus aſſumpſit, Collegium afflictum excitavit, & ab impendente Latrocinio liberavit; cùm alii ad poſſeſſionem diuturnam, viam affectarent, & horum Ædificiorum funditùs everſionem. Hæc non ficta, aut à me excogitata, ſed ex ipſius ore prolata, hominis Veritatis amantiſſimi, & à frivolâ jactatione alieni. Nos ob hoc conſervatos eſſe memini, & hujus Meriti in nos recordor. Non delenda erat noſtra Carthago: Carthaginis Æſculapius Deus Tutor. Tandem expugnata eſt Paupertas, & Gratulor Vobis, Collegæ Lætiſſimi, recentem Opulentiam.

NUPERRIMUM eſt ex quo certatim muneribus oblatis, locupletiores noſtri, Ærarii incrementum ſoli-

ſolicitant; & pro Ære alieno ſpectanda ſunt Vaſa Argentea, & lauta Supellex, Sociorum divitum Donaria. Cùm in Senaculum intramus, idem intueri licet, egregiis Picturis & Imaginibus locupletatum, ornantque adhuc defunctorum ora vultuſque, quorum Ingenia & literata Monumenta ſæculum ornaverunt. Adeamus Apothecam ſelectis Medicamentis refertam, quod omnium rerum Medicarum eſt primum. Spectanda eſt Bibliotheca libris multiplicibus inſtructa, (veniam verbo) & gravida, jam nimiâ aut nimis longâ Geſtatione laborans, & Locum ampliorem flagitans. Poſtremò recreari & confirmari viſi ſumus, & muta quidem hæc Ædificia & animâ carentia, ſentire dudum & lætari videntur; quòd niteant, quòd frequententur, quòd aliquando cœperint eſſe. Haud ita pridem Collegium ipſum foris fuit; nunc Domus Amicitiæ & bonarum Artium; imò laxior Domus. Haſce Parietes, haſce Ædes nobis quaſi reſponſuras, interrogamus, Viderintne unquam tantum conſenſum, tanta Amicitiarum ſigna, conſpicua, indubitata?

Et valdè me movet aſtantium & benemerentium Sociorum aſpectus; Cenſorum præcipuè, qui per annum præteritum officio functi ſunt. Catones totidem; qui non timent iniquorum Calumniam, aut injuſtum Odium; non captant Gratiam remiſſâ Inquiſitione,

quisitione, aut inhonesto Scrutinio: Exquisitam formant Pharmacopiam, & emendatos faciunt Pharmacopolas. Quoad cæteros, Cœtum hunc ut Sylvam in eandem altitudinem surgentem contemplor. Arborum ordo fortuitus est, tametsi certis intervallis redactus, artificialem simulans & admirabilis. Quid enim illo Quicunce speciosius, qui in quacunque parte spectaveris, rectus est? Imò & Cacumina agerent æqualia, nisi quod inter vicinas Arbores emineat aliqua, cui jam tertiò Præsidi gratulor.

Enimvero ita comparatum est, Vir Ornatissime, ut antiquiora Beneficia subvertas, nisi novis illa cumulabis. Remissiùs id contenderemus, si adhuc non sciremus, qualis esses futurus. Habueramus, Collegæ Honorandi, Præsides, qui Collegii spoliis ornati auctique decesserunt; habemus jam Præsidem, qui Idem Donis, Consilio, Eruditione, ornat augetque. Habueramus, qui pro privatis Debitis Collegium fraudulenter sponsum reliquerunt; habemus, qui Justa solvit Debita, & adversus hæc imposterùm defensa parat; dum spirat & hortatur Emptiones, Fundos, Prædia, & Possessiones amplificandas. Habemus, qui nostris Commodis & Honoribus ut inserviret, semper in votis habuit: qui ad Artis Medicæ & ad omnium bonarum Artium studia promovenda, Sumptu incredibili, & Industriâ haud imitabili, nunquam

non

non Animum appulit. Naturæ multiplicis faciei, & multarum ejuſdem Formarum ipſe Scrutator Diligens, ut ex æquo Naturæ Miniſter fiat. Non ſolùm Plantas, Telluris externas productiones, aut Mineralia ejus intus recondita; ſed Animalia, ſive viva, ſive exſtincta, ſive eorum exuvias reliquiaſve, cupido nixu ſectatur. Porrò, quæ ubique litorum, Ventis expelluntur, Salo exſpuuntur, Tempeſtate reciprocantur, Tranquillo deſeruntur; tam numeroſa nominare eſt Diſciplina. Eccam Hiſtoriam Naturalem uberiorem, uno vivo Volumine complexam. Quicquid nutrit India, aut Creta generoſa; quicquid denique Orbis pars antiquior; quicquid altera recèns nata pars obtulit, ſi quid rarius, in Muſæum Hujus advolavit; & ad hoc, orbis literati omnes Accolæ convolârunt: non tanto viſendi ſtudio Naturæ hæc Mirabilia, quanto mirandum hunc Cuſtodem. Noverunt hi ex Famâ; cognovimus at nos, ex Conſuetudine, ex Officiis & Beneficiis. Res Magna, Magna Dignitas, & ſumma Gratia. Quanta Probitas in Ore? Quæ Linguæ Parſimonia? Quæ Loquendi Opportunitas? Quàm pari Librâ Gravitas Comitaſque? Manſuetus non Timidus; Conſtans abſq; Pertinaciâ; ſine Arrogantiâ Gravis, ſine Segnitie Verecundus. Quid plura? Quaſi verò vos omnes, aliter atque Ego exiſtimo, ſentiatis. Plura tamen

adderem

adderem nisi adesset. Non obtundam; desinam cruciare diutiùs Modestissimum: nolo altiùs vulnerare, sed jamdudum sauciatum, longâ at invitâ Taciturnitate, persanabo.

Restat tandem (diuque ut restet, Cœleste comprecor Numen) Laudum Thema perenne; nec ab Instituto nostro alienum: cùm Rex Bonus Reipublicæ Medicus meritò habeatur. Permittam mihi jam propemodum fesso, de egregiis Regis nostri Virtutibus nunc demùm incipere, cùm potiùs eas integris Viribus & Tempori libero servem. Quin expergiscamur! Nonne is omnium suffragiis legeretur, Cui Felix Patria, Cui Domus Clara, ab Atavis edito Regibus: Cui Ætas integra & Militarium Civiliumque Usus contigerant? In capescendis Imperiis Ætas spectanda est; in Adolescentiæ lubrico titubant. Noster Regnum non festinatis Honoribus occupavit, sed Anni suum quoq; junxêre suffragium. Jam profectò constabit eum Principem declaratum, qui & ab omnibus legi debuerat, & ex omnibus Felicia & prospera prioris stationis vix retinebant amplexibus suis, dum aspera & dura ad Capescendam Hanc alliciunt. Veruntamen non immemor suorum, hos reliquit penitùs, atqui revisit & protegit usque; eorum animos concilians interea, relicto pignore amabili. Ipsissimum illum à Cœlo adamatum, semper peregrinaturum & redituru-

rum, Cœlum ſerenum comitatur, & Venti propitii à tergo inſequuntur. Etſi veritus fuerim, ne nos Inſulanos peſſimos Imperio ſuo dignaretur unquam, Angliâ ſuâ demum potita eſt: neque Hâc ſolâ Inſulâ, verùm etiam totâ Europâ. Non ut Raptor ille olim toties à Poetis decantatus, doloſâ formâ indutus, ſed qui propriam & priſtinam ſervaret, Albeſcentem ſcilicet. Non ad Iſtam violandam, ſed Quam Nuptam ducit, fovet, defendit. Regnorum vicinorum Injuriis & Incommodis indoluit; Germaniæ præcipuè, vixdum ex omni parte beatæ, immenſa ſubit Cura. Dum Imbecilles Principes, Sacerdotum ſervi, ſuadente inſanâ Religione, miſeros ſuos Cives opprimunt, cæteroquin vitæ integros & ſuperſtitionis puros. Hos (quanquam aliorum Subditos) conſolando, dominatur in Affectibus, & in Mentibus regnat: quas tamen voluit eſſe Liberas. Verùm ad Nos venit; ad Nos è longinquo venit, utì olim Æſculapius Romam accerſitus, & noſtris medetur Malis, mirâ Arte, egregiâ Facultate. Tantus quoſdam Luxus infecit, & adulta Conſuetudo, haudquaquam facilè videretur obtemperatura Medicinæ. Proindeq; Medicinam facit haud pari modo ac nos facere ſolemus; & ſibi Beneficiis potiùs quàm Remediis Ingenia noſtra experiri placuit. Reconciliare æmulas Factiones, Tumenteſque Populos, non Imperio magìs quàm Ratione compeſcere: & intercedere Iniquitatibus

quitatibus Magiſtratuum. In omnibus Adminiſtrationibus, quàm mitis Severitas, & non diſſoluta Clementia! Quàm facilis Occurſatio & Blanditia Popularis! Populus illi perpetuò aſtat, & Latus ſuum credit omnibus. Non enim ſtipatus Satellitum manu, ſed circumfuſus undique, nunc Patriciæ Gentis, nunc Equeſtris Ordinis Flore, prout alterutrum frequentiæ Genus invaluiſſet. Diſcimus experimento, fidiſſimam eſſe Cuſtodiam Principis ipſius Innocentiam. Quanquam ingenita Hujus Fortitudo, non cedat ulli Formidini, tamen abs Ratione & Conſilio, haud Fortis adeò & Intrepidus evaſit. Non enim metuendus eſt Senatus, cui non ſolùm veterem reddidit Dignitatem, verùm & plurimam novæ adjecit. Populus non eſt timendus, Libertatis Auctori, Religionis Defenſori: non ei qui nulla Jura quaſi Victis adimit, neq; Leges dat niſi petentibus. Non timet Peregrinum Quendam, qui Regiæ Stirpis originem mentitus eſt; ſed longè amovet ut Obnoxium. Bellis non eſt perterritus, at, quæ provocant, injuriis averſatur: Nedum Principibus exteris ſe adjunxit propter Timorem, neque ſimulatis Pactionibus, ſed verâ Amicitiâ, quoad Hunc. Ecquis Regum unquam putavit Amicitiæ Cultum in Regiâ Laude ponendum? Humilis hæc Virtus, dubiumq; an ſit Virtus Palatiis digna; certò hactenus incognita Regibus, & rarò Palatiorum Socia. Tamen hâc Amicitiâ fretus,

ipſe

ipſe Romanorum Imperator auxilium petit contra invadentem Hiſpanum. Illicò data ſunt vela paucis è noſtris Navigiis Bellicis, & Hiſpaniarum Claſſem, Numeroſam, Ornatam, Munitam, Contundit, Profligat, Submergit. Ob hanc Amicitiam longè à domo bellat, & Sociorum Fortunas defendit. Poſthæc jamdudum Hiſpanus noſtros inſultus excuſat proprio obſequio; Pacem ultrò appetit, & conſimilem Amicitiam. Sed quæcunque pulcherrima facit, continuò tranſit & ad majora properat. Regnum Sueciæ afflictum & penè perditum erexit; & impetus feroces Principis Magni Borealis repreſſos & retardatos, atq; pacem reſtitutam cernimus; ab opportuniſſimâ noſtrâ Claſſe. Claſſe? Perperam dixi; vel minimâ Claſſis parte dixerim: cùm viribus Navium omnium conjunctarum non ſufficit opponere fœderatus Marium Orbis. Et Vos Maria Teſtor! Qui enim Portus, quæ Inſulæ, Litora, aut Ora Maritima, in quibus non reperta harum impreſſa Veſtigia? Adeoq; invictiſſimus Noſter, non Parcus Imperium cum Neptuno diviſum habet, ſed abundans, ut Optimus ille Maximus, Hominumq; Divûmq; (Terreſtrium) Moderator exſtat.

Quò me confero? Phaethontis ſimilis, ambitioſè nimis, in altum evectus ſum, impar operi; at Ipſemet Apollo, imperitiam cernens & Ingemiſcens, quaſi mei perinde ac Medicinæ Pater, Me tandem hæc præcipitem evolvere coegit.